



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

273. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

pauper aut opulenta. Sed qualiscunque illa fuerit, una est fornicatio. Ita in furto, quantumcunque quis abstulerit, furti crimen incurrit.

De eadem re. *Augustini dicta.*

August. in
Exod. q. 39.
Burchard. lib.
11. c. 53.

CCLXXIII. Dixit Dominus ad Moysen: *Accipiat unusquisque à proximo suo & proxima vasa argentea & aurea & vestes &c.* Non hinc quisquam exemplum sumendum putare debet ad expoliandum proximum. Hoc enim Deus iussit, qui noverat quid quemque pati oporteret. Nec Israëlita fecerunt; sed Deo iubente ministerium præbuerunt. Quemadmodum cum minister occidit eum quem iudex iussit occidi; profecto si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat quem scit à iudice occidi debuisse.

Item Augustinus.

August. in
Exod. q. 71.
Burchard. lib.
11. c. 54.

Pœnale est occultè auferre. Multò majoris pœnæ est visibiliter eripere. Auferre ergo nolenti, sive occultè, seu palam, habet præceptum suum. Furti enim nomine bene intellegitur omnis inlicita usurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permittit qui furtum prohibuit, sed utique sub furti nomine & rapinam intellegi voluit. A parte enim totum significavit quicquid proximo auferitur.

De eadem re. *Ex Capitularibus.*

Lib. 6. Capitular. c. 96 & in Capitulis Karoli Calvi

CCLXXIV. Si quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli aut ejus homini aliquid vi abstulerit, in triplo, cui ra-